



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX

Exegesis Euangelij Matthæi XXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

VI
22

alio sicut scriptum est: *Laudet te alienus, & non os tuum.* Contra hanc tamē, aut aliam similem eiusmodi regulam non agitur, si non iuxta verba regulæ, sed iuxta illius intentionem quid fiat. Quapropter sancti si de seipsis, laudes dicant, aut vnde æstimationis laudisve quid illos sequatur, narrent aut faciant non in suam, sed in Dei hoc gloriam faciunt. Ideo à superbia manent incontaminati. Quamobrem cum Paulus non nihil laudis de se propter Corinthiorum ædificationem instructionemq; dicere cogeretur, præmisit: *Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, puta vt me laudē paululum, non propter me, sed propter vos, qui ædificandi estis ex me, idē ad gloriā Dei.* Si ergo insipientiæ est, forte quæso modicum insipientiæ, imo supportate me. Aemulor enim vos, id est, casto amore vos diligo, & pro custodia vestri zelor, non mea nec priuata aliqua affectione, sed Dei æmulatione vos diligens. Quod hinc liquet: Despondi enim vos vni viro Christo iudici, assignare sponsam incontaminatam. Siquidem fideles omnes charitate connexi sunt vna Christi sponsa, vnāq; virgo per fidei synceram integritatem. Quomodo enim virginitas corporis, integritas est carnis: ita virginitas cordis, fides est incorrupta ac sincera.

Proverb. 14.
2. Cor. 11.

Fideles omnes vti dicitur virgo & Dei sponsa.

EXEGESIS EVANGELII IN EODEM FESTO
Matthæi XXV.

Dominus noster Iesus Christus, fratres charissimi, ob oculos nostros constituit in hac præsentis Euangelij lectione similitudinem, seu parabolam, qua nos docet non sufficere hoc ad salutē, vt peccata & mala declinemus, sed hoc quoque necessarium fore, vt iustis bonisq; insudemus operibus. In quibus tamen necdum securi sumus, quamuis bona nulla, vt sint æternæ vitæ meritoria, operari nos possumus, nisi Dei gratia in nobis & nobiscum operante. Possumus enim & opera bona operari sine gratia Dei gratum faciente, quæ quidem virtutum ac honorum habeant operum speciem, non tamen integritatem ac veritatem: quemadmodum pomū sepe numero foris iudicatur pulchrum ac bonum, quod tamen intus putridum inuenitur, & vermibus corruptum. Dicit itaque Dñs apud Matthæū.

Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso & sponsæ.

Præsentis Ecclesiæ in hoc inquit similis est decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso & sponsæ. Quemadmodū iam cooperam dicere, vt opera bona verè sint bona quæ Deo placeant, opus est vt Dei gratia sint nobis cooperante facta: deinde vt absit quoque omnis conditio mala, seu circumstantia: postremo, vt intentio Deo placenti ad operandum nos moueat, non priuatus aut mundi amor, necesse est. Alii peccatoribus minatur, & quæ pœna illos maneat prædicit hic verè eos, qui iustitiam se putant agere, quam caute quamque prudenter hæc agere debeant, præmonet dicens: Simile est regnum cælorum decem virginibus. Cuius enim rei gratia dicit virginibus? Quare nō hominibus parabolam accommodat quibuslibet: nisi quia virginitas præclarum habet laudis titulum in Ecclesiā? Eius namque grande est præconium, magna dignitas, in-

Opus bonum vt sit Deo acceptū quam necessaria. Matth. 25.

Virginitas quam præclara sit virtus.



Virginitati
quid necessa-
rium sit.

Math. 19.

1. Corin. 7.

Oleo quid
mystice sig-
nificetur.

Lampades
mystice quid
insinuent.
Apoc. 14.

Obuiare spō-
so quid my-
stice.
Augustin.

Fatue virgi-
nes quæ in-
telligantur.

gens in obseruando labor. Veruntamen, si hæc omnia viceris, & virginitatem continens, siq; studium non in Deum retuleris, nihil facile te credas. Sed quomodo tu Deum ignorasti, quomodo cuius hoc esset donum, & in cuius obsequium honoremque sacrificandum nesciuisti, ita ipse quoque (vt non multo post sequetur) tamen si virgo fueris, te ignorat. Quamuis enim virginitatem Dominus vehemēter laudauerit, quamuis eunuchos qui propter regnum se castrant cælorum prædicauerit, tanquam sublimem virtutem, puta virginitatem, pro illius ardua nobilitate non omnibus mandauerit, sed qui potest capere, capiat dixerit, commiseritque fidelium hanc voluntati: Paulus quoque laudauerit quidem virginitatem, adhortatusque fuerit ad illius obseruantiam, præceptum tamen neque ex se, neque ex Domini iussu pro seruanda illa dederit, propterea quod tanta sit exultationis, vt à paucissimis qui sub gratia, seu sub lege gratiæ vivebant, vix recte dignique coli potuerit: non tamen omnino adeo est tuta, nec secuta, quin sobiliter professione inueniantur, qui à regno excludantur cælorum. Quia igitur res magna sublimisque erat virginitas, maiorisque in Ecclesia exultationis, ne quis, illa seruata, quati nullo indigens, in alijs esset negligentior, parabolam non de quibusuis, sed de virginibus, quarum erant omnia maior & præclarior esset opinio, proposuit Dominus. Si enim per oleum, lætitiæ conscientiæ sinceritatemq; sanctæ deuotionis intelligimus, & misericordiam (quæ virtus si defuerit non iuuabit virginitas in Christianis) lampades lumina vult esse, quæ manibus gestantur, quibus fides significatur & opera. Omnes enim ad iudicium Domini accessuri, fidem nostram, nobiscum adferemus, & opera. Sicut scriptura dicit: *Opera enim illorum sequuntur eos.* Sed dicit quis: quomodo mali bona adferent opera? dicendum, neminem adeo esse malum, qui non aliqua habeat bona, licet non sint tam bona, vt præmio coronentur æterno. Sunt igitur bona, quibus oleum dicitur sincera deuotionis, quia amore studioque placendi Deo, non sunt facta. Hæc tamen opera nihilominus lampades sunt, quæ manibus gestantur, itaque acceptis lampadibus suis, hoc est, externis operibus, exierunt de suis habitaculis obuiam sponso & sponsæ. Obuiabimus omnes Christo sponso & sponsæ, id est, Ecclesiæ triumphanti nos, qui sumus Ecclesia militans: vt congregati simul, vna etiam amur Ecclesia atque sponsa Dei. Aut vt secundum Augustinum, hoc modo obuiare sponsæ dicamur, velut si omnibus in Ecclesia concurrentibus filijs ad matrem concurrere dicantur, cum ipsis filijs congregatis, constet ea, quæ dicitur mater.

Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum. Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.

Fatuitatem hic, pro imprudentia accipimus. Quia fatuæ sunt virginis, quæ opera & studia sua nescierunt ordinare ad rectum debitumq; finem. Hoc modo, qui æternis terrena præfert, stultus est, ac insipiens. Qui item non ad Dei honorem vitamq; æternam, sed aut propter honores temporales, aut propter

VI
22

propter laudes humanas bona opera agit, sultus est. Quinq; igitur ex ijs virginibus erant fatuz, utpote quæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: hoc est, quæ fidei & operibus, neque spiritualemente deuotionis lætitiã internam, neque conscientie synceritatem coniunxerunt. Quisquis enim lætitiã internam non habet, quia Deo placet, non habet, ait Augustinus, oleum secum. Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus: hoc est, testimonium synceræ conscientie bonum curarunt habere. Siue oleum conscientie dicat serenitatem synceritatemque, siue lætitiã spiritualemente, qua quis in opere bono gaudet propter Deum, puta quod speret illud Deo placere. Virunque ex charitate oritur, atque emanat: idcirco non perperam quis in oleo intelligere potest charitatem.

Augu. sin. Virgines prudentes quæ intelligatur.

Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes, & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponus venit, exite obuiam ei.

Moram facit Dominus veniendo ad iudicium. Et hæc ipsa mora, tempus est intermedium ab ascensione sua, vsque ad finem mundi, quo interim omnes dormiunt somno mortis in sepulchris: inde ad vltimum Domini aduentum resuscitandi. Eam enim ob rem, quia à Domino resuscitabimur omnes, magis dormire nos scriptura dicit, quàm mori. Media autem nocte, hoc est, nullo sciente, inopinato & ex improuiso. (*Hora enim qua non putatur, inquit, filius hominis veniet.*) Itaque media nocte, ecce clamor factus est. In voce enim Archangeli & in tuba Dei, descendet Filius hominis, cui Patet dedit omne iudicium: & tunc qui mortui sunt, resurgent: aut sicut dicitur hic, qui dormierunt, exhibunt Christo obuiam. Hic enim clamor tunc sonabit. Ecce sponus venit, exite obuiam ei. Perpendite filij, quàm tristis erit hæc vox multis, quàm gaudiosa verò ac iucunda alijs. Qui enim graui pondere erunt delictorum oppressi, quomodo non erit illis hæc vox tristitia & lætitiæ? qui verò ad beatitudinem resurgent æternam, quomodo non ad hanc vocem exultabunt? *In memoria enim æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit?*

Mora Do. mini quæ intelligatur.

Dormire quomodo dicatur mortui. Lucæ 2. 1. Theff. 4. Ioan. 5.

Ecce sponus venit quibus tristitiæ quibus lætitiæ erit. Mat. 13.

Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas.

Omnes quidem refurgemus in icu oculi, ad vocem Angeli, & in nouissima tuba portantes opera nostra, hoc est, tam merita, quàm demerita nostra nobiscum. Ornare igitur lampades, est reassumere opera nostra, atque ad reddendam se rationem parare. Surrexerunt itaque omnes, tam iusti, quàm peccatores. Surgent iusti de pulueribus, & tumulis ad recipiendam coronam æternam: Surgent ab expectatione longa & spe, ad recipiendam veritatem Surgent quoque reprobi à sono negligentie. Incipient enim tunc timere, incipient instantis periculi timore resipiscere, incipient suam fatuitatem detestari & plangere. Tunc intelligent, quia nihil est, quod vixerunt in mundo. Tunc, inquam, incipient videre & sapere, quando illis nihil commodi, sed probri & doloris plurimum adferet. Ornare igitur lampades suas est dispicere opera sua ac diiudicare. Tunc enim tam boni quàm mali

1. Cor. 15. 1. Theff. 4. Lampades ornare quid mystice sit.

In extremo iudicio quomodo boni & mali diuersi-

mode suas
et amittunt
conscientias.

mali interrogabunt conscientias suas. Boni quidem qui in prudētibus vir-
ginibus significantur, inuestigabunt in se ne quicquam appareat coram
Deo, quod esset despicabile repræsentabile, non aliter quam sponsa oc-
currens sponso superventuro, festinat se componere, ne quid in ea, sponso
displiceat. Mali verò, in fatuis virginibus significari, pariter se inuestigabunt,
si quid in conscientijs inuenerint suis, quo Deo possent placere. Quo non in-
uenito, se ipsos accusabunt, & dijudicabunt apud se. Filij, ut inam modo sem-
per que in vita nos iudicaremus, quomodo tunc nos iudicabimus, in Deum
nunquam peccaremus. Modo itaque penitentiæ maxima foret utilitas,
cum post mortem nihil omnino tunc sit profutura.

Fatux autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo ves-
stro, quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt
prudentes dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis. Itē
potius ad vendentes, & emite vobis.

Fatux virgines, reprobitq; omnes, cum nihil in suis cōscientijs inueniūt,
quo se aduersus iudicis iram tueri possint, aliena auxilia implorāt, sed hoc
quoque frustra: Neque enim tunc tempus est querendi, aut operandi, aut
mendicandi. Sed est tempus metendi, mercedemq; recipiendi laborū. Dux,
inquiunt, nobis de oleo vestro. Succurrite nobis de lætitia conscientiarū ves-
strarū, aut de charitate vestra, qua lucent & ardent lampades vestrarū: quia lam-
pades nostræ extinguuntur, hoc est, quia fides & opera nostra carentia lumē
ne charitatis, extinguuntur. Extinguitur lampas hominis, quando fides de-
ficit, ac desperat. Quemadmodum enim qui sibi bene conscius est, magnan-
miter ac confidenter agit, ita qui malè sibi conscius est, formidat semper.
Mali igitur cum in se fidem & opera cōspiciunt à lumine gratiæ aliena cō-
secratur eorum spes & conscientia. Cæterum quod fatux rogant sapientes
sibi cōmunicari oleum, innuitur, malos optare vndique sibi subuenire pro-
sertim si qui incerti sint, quid de eis iudicabit Dominus: utpote qui ana-
pulationem sententiæ verentur damnari. Verum quid responderunt: Sapi-
entes? Ne fortè non sufficiat nobis & vobis. Adeo terribile futurum, inquit,
est iudicium, ut nulla sibi conscientia confidat. Si enim stellæ non sunt
mundæ in conspectu eius. Si iustus vix saluabitur, quis gloriabitur mundum
se habere cor? Quod si nemo de se hoc queat promittere, quomodo tunc
excusandum alienum peccatum, potest reo assistere? Tantis igitur timorē
omnium prittimor, ut nemo speret se iustum inueniendum: sed adhuc time-
at, ne forte non iustus existat. Dicunt igitur: Nihil est, quod superabundat
ex meritis nostris: plura potius deficient, quæ sua liberalissima misericor-
dia Deus adijciat, quocirca minimè hæc sufficient vtrisque. Itē potius ad
vendentes, & emite vobis. Itē ad sacerdotes, & penitentiam agite, peccataq;
vestra pauperum misericordijs redimite. Hoc consiliū dabant, quod solum
dari debuit, si tempus adhuc fuisset miserendi, & si prodesse tunc potuissent.
Secundum Augustinū, insultando hæc dixerūt. Itē nunc, & videte, quid vos
adiuuent, qui vobis laudes in vita vendere consueverunt, & in errorem vos
inducere, ut coram hominibus non coram Deo præsumeretis gloriari.

Et dum irent emere, venit sponfus. Et quæ parata erant,
intra

Lampas ho-
minis quo-
modo mysti-
cè extin-
guitur.

Iudicij extre-
mi horror
quantus
est.

Iob 15.
1. et 4.
Prover. 10.

Timor quan-
tus omnium
est in extre-
mo iudicio.
Daniel. 4.

Augustin

intrauerunt cum eo ad nuptias: & clausa est ianua.

Non est putandum, quod tunc, quando separata anima est à corpore, poenitendi merendiue tēpus sit. Ideo nō refertur etiā q̄ oleum emerint, licet ad emēdum iuerint: hoc est, huc, illucq̄ p̄ angustia se verterint, tremēdx sententia poenarumq̄ meditantē euasione (quod fiet in morte singulis, quo ad animā: in iudicio vero extremo vniuersis, quo ad corpus & animam) Quādiu enim corpori cōiuncta est anima, adhuc poenitentia gratiaq̄ diuina, & misericordia locus patet, nisi quod rarissimē, qui illuc tantisper differunt poenitentiā, vix rectē poenitere credendi sunt, propter nimia perturbationē, angustia temporis, grauem metum exulceratamq̄ conscientia. Poenitēte quidem, sed metu mortis damnationisq̄ non odio peccati. Si enim diutius vivere possent, nihil de pristina vita illis adeo displiceret, vt emendarent. His igitur ad nuptias cum sponso intrantibus, qui oleum habebant in lampadibus: illis verō qui iuerunt oleum emere abeuntibus, regni celorū interim clausa est ianua. Non est in parabolis querenda per omnia ad veritatē, cuius est parabola similitudo. Nam vt dixi, in futuro iudicio nemo ab alio petet merita, aut suffragia, nemo quoq̄ ad comparanda plura merita est abiturus. Siquidem neque precum, neque laborū, aut virtutum querendarū tunc erit locus: sed intelligenda est ratio, quare hęc dicantur. Hic namq̄ sensus est parabolæ: quod opera sine charitate facta, non lucent, quando quidē sola fides, quæ per dilectionem operatur, fulgebit. Non ergo in huiusmodi lampadibus est oleum. Deinde vult nobis palam esse, post hanc vitam si quis pro auxilio quempiam vellet inuocare, aut si redire ad operandum bona vellet, non ei hoc concedi.

Nouissimē veniunt & reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondēs, ait: Nescio vos.

Clausā fuit ianua ingressis his, qui ad nuptias vocati & electi erāt, quia post nouissimum diem, consummato tempore & cuiuscunq̄ vita, quæ à Deo vnicuiq̄ ad bona merenda est cōcessa, non patebit aditus regni celorū. Idcirco, quod fatuæ virgines, tunc ad ianuā pulsantes, introduci perēt, indicat quidem, quod malis infernalibus carere vellēt & introitum ad beatitudinem peterent: at nemo illis aperuit, sed responsum est illis à Domino: Nescio vos. Vocatis me, Domine, Domine. Quid autē me vocatis Domine, Domine, quando ea quæ faciēda cognoscebatis, renuistis facere? Nescio vos: nō vos vt filios agnosco, non vt filios adoptionis habeo. Sicut itaq̄ firma immutabilisq̄ Christi sententia: Post clausam ianuam, post peractum iudicium, imo post vitam exactam, nulli, nisi in hac vita salutem reparandam.

Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

Verba sunt Christi post parabolam ad vigilandum nos hortātis. Causam namque vigiliarum inducit, dicens: Quia nescitis diem neque horam. Cum ignoretis, inquit, quando Dominus vester venturus sit, ideo semper interim vigilate, vt quacunque hora pulsauerit, confestim illi aperiatis. Quod nobis largiatur Dominus noster Iesus Christus, in secula benedictus, Amen.

Poenitere
differentes
quanto per-
iculo se expo-
nant.

In parabolis
quid porissi-
mum peccā-
dum sit.

Sensus huius
parabolæ q̄
sit precipuus.
Galat. 3.

Luce 6.
Matth. 7.

Nulli post
hanc vitam
sperandā be-
atitudinē qui
eam hic neg-
lexerit.

Luce 11.
Marc. 13.